



DE SACRARVM SCRIPTVRARVM  
 AVTHORITATE, NECESSITATE, ET VSV;  
*doctrinali & iudiciario.*

ADVERSVS IESVI-  
 TARVM IMPOSTVRAS,

DISPV TATIONIS PRIMÆ

DAVIDIS PAREI

CENSURA.

*In qua ipsius Impostura, ἀουδλογία, & ineptia, breuiter demonstrantur.*

*Eam vero propediem, inter huius argumenti cetera, ad publicam Disputationem, pro S. Theologia, Licentia gradu, proponet;*

REVERENDVS ET ERV-

DITVS DOM. CONRADVS DIEL, AR-  
 tium Liberalium ac Philosophiæ Magister; & S. S. Theo-  
 logiæ Baccalaureus Formatus; summæ Aedis Mo-  
 guntinæ Vicarius.

P R Æ S I D E

R. P. IOANNE MV LHVSINO; THVRINGO.  
*Societatis Iesu, Theologia Doctore, & Professore  
 Ordinario.*



M O G Y N T I Æ,

*Excudebat Ioannes Albinus, Anno*

---

clb. lb. CIII.





# AEQVO ET BENEVO-

LO LECTORI.

CONRADVS DIE L. S.

**P**roteruia Ministrorum, in conuellendis fi-  
 dei principiis, & astruendis manifestis ab-  
 surditatibus, non ita pridem, occasionem  
 mihi dedit, Disputationis cuiusdam instituendæ, de  
 Sacrarū Literarū Interprete, Norma; seu Regula fi-  
 dei, & iudice controuersiarū; deq; quæstionibus aliis,  
 cū eo argumento cohærentibus; *quas satis proteruè,*  
*nuper, in Ratisbonensi Colloquio agitas,* à Prædican-  
 tibus constat; & superioribus diebus in quadam di-  
 sputatiūcula à Dauide Pareo, Caluiniano Ministro.  
 Et refert profectò, inuentum, in scholis Orthodoxo-  
 rum probè contra muniri, Cruentis etiam consiliis, &  
 machinationibus, Regum & Principum iugula, passim  
 impetunt Ministri. vixq; vlla iam aula, nefariis eorum  
 insidiis vacat; quæq; bestia, de qua D. Iohannes in Apo-  
 calypsi prophetat, ministra, non efficeretur; nisi bo-  
 norum Regum & Principum, quas excæcare prorsus  
 conantur, mentes, aliquali saltē sua luce, benignus  
 Dominus hactenus collustrasset? *Verum, de his vide-*  
*rint, si sapiant Politici. Nostrum est, in Ecclesiis &*  
*scholis, manibusq; istis pestibus contraire. Nec*

Nota Lector,  
 quæ asperio-  
 ra sunt, ex Pa-  
 rei Prefatio-  
 ne contra Ie-  
 suitas, depro-  
 pra sunt.

Ministri pro-  
 terui.

Ministri bo-  
 nis principib;  
 imponunt.

Cap. 16. v. 17.

A 2 difficilis



E P I S T O L A

*difficilis erit labor, modo impudentiam illorum prorsus intolerabilem, circa ipsa fidei principia, mundo demonstramus. Nam circa hæc, illi, maxime se produnt, esse*

Ministri veterum hæreticorum germana soboles.

Quomodo illorum fraudes cuitandæ.

Scripturæ quomodo intelligendæ.

Ministros omne certamen ex scripturis eludere manifestè probatur.

Ministorum quisque scripturarum interpretes, & interpretationis iudex.

Quid moliantur ministri.

*germanam veterum hæreticorum sobolem, pessimosque hæreticos, quorum fraudes & imposturæ, quo modo cuitandæ sint, iam ante mille & amplius annos Vin-*

*centius Lyrinensis demonstraui his verbis. Sed dicit aliquis: Si diuinis eloquiis, sententiis, promissionibus, & diabolus & discipuli eius vtuntur, quorum alij sunt Pseudo-Apostoli, & Pseudo-Magistri, & omnes ex toto hæretici, quid facient Catholici homines, & MATRIS ECCLESIE filij? quonam modo, in scripturis sanctis, veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Cõmonitorij istius sanctos & doctos viros nobis TRADI-*

*DISSE scripsimus, vt diuinum Canonem, secundum VNIVERSALIS ECCLESIE TRADITIONES, & iuxta Catholici dogmatis REGVLAS interpretentur. Ex*

*quibus manifestè conspicitur, Ministros esse, qui hodie omne ex scripturis certamen eludunt, cum diuinum*

*Canonem, non secundum VNIVERSALIS ECCLESIE TRADITIONES, & iuxta Catholici dogmatis REGVLA interpretentur; sed pro capitulis sui malè sani, vertiginoso cerebro; dum se scripturarum quisque & interpretem, & interpretationis suæ, infallibilem iudicem constituit. Et quid aliud, ista*

*agendi ratione moliantur, quam vt diuinas paginas, suæ Ecclesie, hoc est, omnium malorum, quibus Christianus orbis hodie premitur & ingemiscit, Lernæ (in qua ipsi tanquam bestie turpissima cauda eminent.)*

sub-




subiiciant? Hanc in rem, quantum ex ipsius prima Disputatione, quã nuperrimè edidit, iudicare licet, maiorem, quam pro viribus & ingenio, conatum & operam, Pareus etiam pollicetur; cuius, qualis Theologia, in duabus sequentibus, quas publicè discutendas proponet, Disputationibus, futura sit; ex iis intelleges, quæ succinctius hîc pertractata, fusius, in illa, quam dixi, de scripturarum interprete, NORMA FIDEI, & controuersiarum iudice, disceptatione, differrentur, quam iam iam in lucem paro; bona interim conceptâ spe, fore, vt vbi immoderatio disputandi feruor in Pareo non nihil subsederit, is longè mitius cum Iesuitis acturus sit. Licet enim in Disputationis suæ Præfatione, mendacem admodum, illorum reprehensionem & accusationem, proponat: in conclusione tamen, iustissimam eorundem laudem & commendationem fusè prosequitur. Fatetur enim apertè, quod tantum abest, hætenus persuaderi Evangelicos potuisse, vt contrarium prorsus, innumeris propemodum, relationibus, assertionibus, Epistolis, carminibus, (vt conciones, aliasque circumuoluitantes chartas omittam) per orbem terrarum vniuersum, dispergere conati sint: fatetur, inquam, (thesi II 8.) vnico suo argumento, quod voluerunt (id est, scripturam sacram, solam, non esse Normam fidei & dogmatum) Iesuitas obtinuisse Ratisbonæ; hoc ipso, quod illorum Antagonistæ (argumentis utiq; compulsi) concesserint, dogma de scripturis Canonicis, non ex Dei verbo scripto, sed ex Ecclesiæ TRADITIONE constare. Magnam illius veritatis lucem esse necesse est, quam tandem etiam tam densæ & opacæ

Pareus audacior videtur, quam pro viribus.

Pareus impudens, in præfatione sua, mendax est.

Commendat Iesuitas inuitus; dum Lutheranos fratres suos, carpit.

Iesuitæ, Ratisbonæ, contra Lutheranos, obtinuerunt victoriam, Pareo teste.



Pareus exponit se inuidiæ periculo, propter Iesuitarum honorẽ.

mendaciotum nubes. ipsæ, in omnium oculos, effundere coguntur. Quam verò timeo, ne Iesuitarum causâ, malam gratiam apud Symmystas, & confratres suos Lutheranos, Pareus ineat; quod tam insignem contra ipsos victoriam, cum perpetuo Lutherani nominis dedecore, Iesuitis concedat? Quam actum benè cum Hunnio, quod ex hac vita ereptus sit, antequam tantâ infamiâ ipsius tanto illo in opere, lacinosæ declamationes & dictationes, aspergerentur:

Hunnii tempestiua mors.

Imprudencia Hailbrunneri.

Quam imprudenter Hailbrunnerus fecit, quod in suâ Disputationis collegam, non adoptarit Pareum, qui, statim atq; syllogismi Iesuitarum, qui tum agitabatur, maiorem propositionem negasset; cum summâ sui admiratione, totiusque Calviniani Ministerii, mirabili commendatione; omnes Iesuitas, continuo, mutos, elingues, effecisset. Sed, quod tum neglectum per Lutheranos est; nos instaurare iam non possumus; Disputationem igitur Parei diligenter inspiciamus, vt, si quid fortè in illa lateat, quod in ipsius laudem vicissim produci possit in medium, id nullo modo prætere iuratur. Quatuor verò quæstionibus, tota disceptatio distinguetur.

Quid potuisset Pareus Ratisbonæ effecere.

1. *Vndenam scripturæ sacra, diuinam & Canonicam auctoritatem habeant?*

2. *Vnde constet scripturas sacras, in generali & in particulari esse diuinas, & illorum auctorum, quibus adscribuntur?*

3. *An fide historica tantum, an & iustificante credamus, scripturas alias esse Canonicas & diuinas, alias non?*

4. *An dogma de libris Canonicis, in generali & in particulari, sit articulus fidei, nec ne?*

In




In his quæstionibus explicandis, tam perfunctoriè, & pueriliter versatur Pareus, vt, an disputare, vel nugari propositum ipsi fuerit, equidem diuinare non possim. Quod si illi res cordi est, ne se importunè vocatum quiritetur, quandoeunq; commodum ipsi fuerit, veniat; quoscunq; volet, adducat; nosstram hæc Disputationis ipsius censuram, (quam cum aliis de scripturarum interprete; Norma fidei; indiceq; controuersiarum thesibus propediem disputandam proponemus) acerrimè, siue publicè, siue priuatim, impugnaturus. Nunquam nos improvisè vocari causabimur; nunquam pugnam detrectabimus. Interim tu, Lector, vale; & cæcos illos, cæcorumque duces, si sapias, deuita. Moguntiz. 12. Septemb. 1603.

Pareus graues quæstiones pueriliter tractat.

Pareus vocatur ad Disputationem, quandoeunq; ille fuerit in tegrum.



CEN





# CENSURÆ DIS- PUTATIONIS, DA- VIDIS PAREI; THESIS

## I.



**I**RCA primam quæstionem, thesibus ali-  
quot, Catholicos exagitat, sub Papistarum  
nomine; quod sacras literas, partim diui-  
nam, partim Canonicam authoritatem  
(id est, quod Regula fidei sint) non ab ipso Deo, sed ab  
Ecclesia doceant accepisse. Hic certe, in ipso vesti-  
bulo, si luberet, Pareum Impostorem appellare, iure  
multò maiori id possem, quam ipse Disputationem  
suam, aduersus Iesuitarum Imposturas inscripserit.  
Nullus enim est Catholicus, nullus; quin, sacrosanctas  
istas paginas, vtramque authoritatem, simpliciter, à  
solo Deo, accepisse fateatur. Tantum igitur hoc vo-  
lunt Catholici, quinam libri eiusmodi à Deo autho-  
ritatem habeant, non esse Arij, Eunomij, Macedonij,  
Lutheri, Caluini, vel cuiusuis alterius priuati discer-  
nere & declarare; sed solius Ecclesiæ, *qua columna &*  
*firmamentum est veritatis.* Ita que sacri libri, in se diuini  
sunt, & Canonici; eos tamen vt tales nobis propone-  
re, & à non diuinis & non Canonicis discernere, soli-  
us Eccle-

*1. Quæstio vn  
descripturæ  
sacræ diuinâ  
& Canonicâ  
habeant au-  
thoritatem.*

*Pareus Impo-  
stor.*

*Nullus Ca-  
tholicorum  
dicit, quod  
Pareus illis  
affiagit.*

*Libri sacri,  
ante Eccl. siæ  
iudicium sūt  
diuini & Ca-  
nonici.*

*1. Timot. 3.*



us Ecclesiæ munus est. Hoc Eckius contendit, stapletonus & alii, quos traducit Pareus. Et quid pluri-  
bus opus est? Nānquid Pareus fatetur (non magis ta-  
men quid dicat, intelligens, quam si vel psittacus, vel  
pica loquatur) *Ecclesiam discernendi & declarandi  
Canonem à Deo acceptum, potestatem habere?* (thesi  
13.) & quid aliud censent Catholici? mera igitur Ie-  
suitas calumniandi libido, impostorem hunc trans-  
uersum agit. Sed pergo.

Pareus scripturam  
non intelli-  
git.

Ex calumni-  
andi libidine  
impostorem  
agit.

II.

Secunda igitur quæstio est, (thesi 20.) *unde con-  
stet sacras scripturas in generali & in particulari, esse diuinas,  
& esse illorum authorum quibus adscribuntur.* Respondet

D. Hieron.  
præfat. in Ju-  
dith. Epist. III.  
Basiliius libr.  
de Spir. san-  
cto ca. 27. A-  
thanasius in  
Synop. de A-  
pocalypsi Eu-  
feb. lib. 3. hist.  
cap. 19. Orig.  
apud eundem  
libr. 6. cap. 18.  
Clemens A-  
lexand. lib. 7.  
stromat. vide  
D. August. li  
33. contra Feu.  
stum cap. 6. &  
contra Epist.  
Fundamenti  
cap. 5. &c.  
Contra epist.  
Fundamenti.  
cap. 5. Tom. 6.

Iesuitæ, cum totius orbis terræ Catholicis. Id ex Ec-  
clesiæ TRADITIONE constare. Hoc responsum,  
si Impostorum est, Impostor Ambrosius est; Impostor  
Augustinus; Impostor Hieronymus; Impostores qui  
hos antecesserunt; Basiliius, Athanasius, Eusebius  
Cæsariensis, Origenes, Clemens Alexandrinus, mit-  
to cæteros. Vnde Salomonis canticum quod tene-  
mus, Canonicum esse, cætera quæ cecinisse dicitur  
idem Salomon, Apocrypha censuit Ambrosius? ex  
eo, quod Ecclesia hoc receperit, reliqua repudiarit.  
(Tom. 4. præfat. in Psal. similia eodem tom. serm. 22.  
in Psal. 118. & To. 5. in enarratio. Procemii secundū  
Lucam) Apostolorum actus, an non ex Ecclesiæ de-  
claratione canonicos agnouit D. Augustinus? *cui li-  
bro, necesse est, inquit, me credere, si credo Euangelio; cum v-  
tramq; scripturam similiter mihi Catholica commendat au-  
thoritas.* Tam ne obliuiosus Pareus est, vt non me-

Pareus san-  
ctos Patres  
impostores  
facit.

D. Augusti-  
nus credit  
scripturas ef-  
se diuinas,  
quia Ecclesia,  
vt tales pro-  
ponit.

B

minerit





minerit amplius quod idem S. Doctor ibidem scriptum reliquit: *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret autoritas?* At, inquit, Augustinum adhuc Manichæum, Ecclesiæ Catholicæ auctoritate commotum credidisse Euangelio, factum verum Catholicum iam non amplius ob Ecclesiæ auctoritatem.

(thesi 61.) Quis Impostor est, si Pareus non est? An Catholicus nondum erat Augustinus, quando dicebat; *Cui libro (actuum Apostolorum) necesse est me credere, si credo Euangelio; cum utramq; scripturam similiter mihi Catholica commendet autoritas?* Non minus perspicua, ex aliis citatis Patribus testimonia pro verissimâ Catholicorum sententia adducere possem. Sed festino. Vnum saltem, protulisset Pareus ex tota Antiquitate, qui ex solo verbo scripto, scripturarum Canonem designasset.

## III.

*Trita est hodie Iesuitarum cantilena, inquit Pareus, vnde scis, scripturas esse diuinas, & Euangelium Matthæi esse Matthæi? (thesi 21.) Nos primò questionem vnde scis, vt curiosam & impiam explodendam ex Ecclesia iudicamus, cum Augustino sic confitente: persuasisti mihi (ô Deus) non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus auctoritate FVNDASTI, sed qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent: VND E scis, illos libros vnus veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? (thesi 23.) nolo tempus in nugis conterere, eundem Augustinum de vtilitate credendi ad honoratum contra*

B 2

Mani-

Pareus Impostor.

Pareus suæ phantasie nullum habet auctorem, ex antiquitate.

Pareus impunit D. Augustino.

Caluiniani, similes Manichæis, qui nihil volebant credere, nisi quod ratione naturali comprehendere



Manichæos legito, eosq; inuenies Calvinianis simillimos, nihil credere voluisse, nisi ratione demonstratū. Hinc ita D. Augustinus alloquitur Honoratum. *Est igitur mihi propositum, ut probem tibi, si possim, quod Manichæi sacrilegè & temerè inuehantur in eos, qui Catholica fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pure mente conspicitur, intueri queant, credendo, præmuniuntur; & illuminaturo, præparantur Deo. Nosti enim Honorate, non aliam ob causam, nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, TERRIBILI AUCTORITATE (Ecclesiæ Catholicæ) separata, mira & simplici ratione eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. & paulò post. Tu (Honorate) nondum Christianus, qui hortatu meo, cum eos (Manichæos) vehementer execraberis, vix adductus es, ut audiendi tibi atq; explorandi viderentur; quâ quæso aliâ re delectatus es, recordare obsecro te, nisi magna quadâ presumptione, ac pollicitatione rationum, &c. Hos igitur obgannientes sibi (vobis simillimos.) tergiuersatores; V N D E S C I S, illos libros vnus veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? S. Augustinus audire nolebat, sciens utiq; nulla humana & naturali ratione id demonstrari posse, q̄ ex solius Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, sibi discendum noverat.*

Manichæi cō  
temnebant  
Ecclesiæ au-  
thoritatem  
& agebant hu-  
manis ratio-  
nibus.

Vnde D. Au-  
gust. didicit  
qui libri es-  
sent Canoni-  
ci.

IV.

Deinde, si quæstio illa, V N D E S C I S *curiosa & impia est, cur Pareus omnes scripturæ angulos tā anxie & sollicitè perscrutatur & excutit, (à thesi 41.) vt eius solutionem, (quæ nusquam in illis est.) inueniat? Nunquid Apostoli & Prophetæ, in curiosis & impiis quæstionib. dissoluēdis occupati fuere, vt apud ipsos*

Pareus inep-  
tè curiosarū  
& impiarum  
quæstionum  
solutiones in  
sacris literis,  
à spiritu san-  
cto petit.



4. CENSURA DISPUTAT  
olim Pareus Impostor earundem dissolutiones quaeritaret? Apage.

V.

Pareus, SS.  
PP. sententiam, vocat falsam, impiam, perniciosam, &c.

Pergit Pareus. *Sententiam Iesuitarum* (quæ scilicet scripturæ ab ipso solo Deo, authoritatem habent quæ non ex Ecclesiæ id declarantis authoritate consistare debere.) *falsam, impiam, perniciosam, absurdam, & diuinitatem esse pronunciamus.* (thesi 25.) Bona verba quæso. Nunquid eandem sententiam Ambrosij, Augustini, Hieronymi & aliorum Patrum fuisse iam ante monstraui? Sed quare tam grauem censuram meretur illa Sanctorum sententia? Multa Pareus ingerit (à thesi 26. vsque 41.) summa omnium est: *Quia diuinam authoritatem, rationi & authoritati humane & fallibili, sententia illa subiicit; quod impium est, perniciosum, absurdum, &c. dabitur pro sua modestia, mihi veniam Pareus, si verbis ipsius utar, nominibus solum Bellarmini & Parci commutatis; nititur hæc ratio, crasso & blasphemio mendacio,* (thesi 35.) nempe, Ecclesiæ authoritatem, purè humanam & fallibilem esse; contra D. Paulum, qui eam *columnam & firmamentum veritatis appellat*; contra Christi verba, qui *spiritum veritatis* illi promisit, &c.

Pareus mendax crassus & blasphemus.

1. Timot. 3.  
Ioan. 14. & 16.

VI.

Pareus ridiculus.

*Verum, vt ad quæstionem propositam* (inquit Pareus) *sit planior atque solidior nostra responsio, &c.* (thesi 41.) Ridiculus videri posset alicui Pareus, qui ad impiam & curiosam quæstionem, planam & solitam, tanto molimine responsionem adornat. Audiat tamen.

*Inde*



Vnde ergo scis, scripturas sacras esse diuinas? *issa dem prorsus argumentis, nobis hodie constare dicimus, scripturas esse diuinas, inquit, quibus olim Ecclesie Israelitice atque Apostolice constabat, (thesi 41.) Ea argumenta erant, partim in personis docentium atque scribentium, partim in doctrina, partim in doctrinae effectis. (thesi 42.) In personis erat diuina vocatio, missio, & inspiratio &c. de his (iam et) scriptura ipsa testatur, in singulis propè librorum vestibulis, nomina & uocatione diuinam, Prophetarum & Apostolarum exprimens, ut uisio Iesae, &c. uerbum Iehonae, quod fuit ad Hoseam, &c. Paulus seruus Iesu Christi, uocatus non ab hominibus. &c. At, mi Paree, nisi prius ueteris & noui testamenti libros istos Canonicos & diuinos credideris, qui credes Catholicam fide, uerum esse, quod in istorum librorum vestibulis inscribitur; nempe. *Hosea uerbum esse Iohoua uerbum. & Paulum non uocatum ab hominibus. An tu non credis ista, quia credis scripturas Canonicas & diuinas esse, quae asserunt ista? Prius ergo scripturas illas diuinas credis, quae ex illa inscriptione, Hosea uerbum Iohoua uerbum credas, & Pauli uocationem non ab hominibus,**

Hi uel illi libri, inscripti sunt Prophetarum uel Apostolorum nominibus: ergo sunt diuini & Canonici. Inepta est Parei consequentia: Prius credimus librum esse diuinum & Canonicum quam esse uerum id, quod in ipsius uestibulo inscribitur.

VII.

Eiusdem est sapientiae, quod à thesi 45. de criticis dicitur quibus *ἀπὸ τύπων* (id est, quae certialicuius Prophetæ uel Apostoli nomine non sunt insignita) cognosci debeant pro Canonicis. *Sunt enim ea critica in ipsa doctrina. 1. doctrinae genus diuinum, 2. styli*



diuini maiestas. 3. doctrinae diuinus cōsensus (thesi 45.)

Pareus doctrina  
na verbosa  
tantum.

4. doctrinae effectus. (thesi 54. 55. 56. 57. Verborum  
Impositurae sunt illa tantum, quibus ne mica quidem  
solidae constantisq; doctrinae substernitur. *Vtrum scri-*  
*pturae diuinae sint, expendendum vult Pareus ex illa-*  
*rum doctrina; hæc si diuina fuerit, erunt & scripturae.*  
*ô circulos. numquid hoc tale est, ac si quis dicat, vt no-*  
*ris, nū candida nix sit, expendendū est diligenter, an*  
*ipsum substantia sit alba: Sacrae literæ, & diuinum do-*  
*ctrinae genus aduersario Synonyma sunt, neq; enim*  
*vllam admittit diuinam doctrinam, quæ sacrarum li-*  
*terarum non sit doctrina, & tamen ex diuina doctri-*  
*na vult sacras argui literas, id est, & ensē esse de-*  
*monstrare, quia gladius est.*

Pareus pro-  
bat nūc em-  
se candidam,  
quia est alba.

## VIII.

Cognoscatur tamen scripturas esse sacras ex do-  
ctrinae genere, ipsumq; doctrinae genus, (quod vult Pa-  
reus.) 1. ex rerum magnitudine. 2. ex puritate & inte-  
gritate legis, 3. ex concione Euangelij, de gratuita re-  
missione peccatorum. & regeneratione propter IESUM  
MEDIATORIS. 4. ex scopo doctrinae, qui est Dei glo-  
ria, nostraq; salus, (thesi. 47. 48. 49. 50. 51.) Quæro ex  
Pareo, vnde res, quas scripturae sacrae commendant,  
magnas ipse credidisset; vnde legem in illis descriptā  
integram; vnde acceptandum de gratuita peccato-  
rum remissione Euangelium; totiusq; diuinae doctri-  
nae scopum, esse Dei gloriam & animarum nostrarum  
salutem; nisi prius verbo Dei scripto, ex quo solo, ipsi-  
us sententiā, omnium istorum vera pendet notitia,  
credidisset.

Pareus inep-  
tè probare ex  
criticis qui  
libri sint diui-  
ni.

Quæ res sint  
verè magnæ,  
quæ lex inte-  
gra; quod ac-  
ceptandum  
Euangelium;  
quis scopus  
diuinae do-  
ctrinae; ex so-  
lo verbo Dei,  
prius credito  
scopus.



## IX.

Deinde, num aliqua scriptura res magnas, legem integram, concionem Euangelicam, proponat; collimetuè ad propositum nobis scopum Dei scilicet gloriam & animarum nostrarū salutem, quis erit iudex? Si priuat<sup>o</sup> aliquis vt Arius, Eunomius, Lutherus, Caluinus, similis, quid certi habebimus de libris Canonis? Nunquid, (vt veteres omittam, hæreticos.) vester Patriarcha Lutherus, Epistolam Iacobi, Iudæ, Pauli ad Hebræos, & Apocalypsin reiecit ex Canone, quod ipsi res non satis magnas, & Apostolis dignas neque Euangelicas conciones, continere viderentur; neque ad scopum gloriæ Dei, & animarum nostrarum salutem collimare? Si vero criticorum istorū æstimatio, non ad priuatū aliquē, sed ad publicam authoritatē pertineat, vt certa sit; eritne illa alia, quam Ecclesiæ.

Nullus priuat<sup>us</sup> potest infallibiliter iudicare, quin libri Euangelicas conciones proponat & ad verum scopum colliment.

Lutherus, per Criticorum, multos libros diuinos sustulit ex canone.

Criticorum æstimatio pertinet ad Ecclesiam solum.

## X.


Et cum similem prorsus Theologiam *styli Prophetici & Apostolici, doctrinæq; consensus criticorum, & effectuum argumentum complectatur* (à thesi 52. vsque ad 57.) de quibus vniuersis eodem modo sciscitari licet, quisnam illorū infallibilis iudex esse debeat; priuatūne aliquis homo, an publica authoritas, &c. neque vnquā acquiescere possumus, nisi totum criticorum illud iudicium, Ecclesiæ Christi verę, committatur; ad tertiam Parei quæstionem veniamus.

Quis stylus Propheticus vel Apostolicus quis non? &c. Ecclesia sola potest infallibiliter iudicare.

## XI.

Tertia quæstio est; *verum fide historica tantum, an & iustificante credamus, scripturas alias esse diuinas & Canonicas alias non?* (thesi 68) Pareus vt impostorem decet, Iesuitas ait, hac in re ambiguitate lusisse, (thesi 72.)

Pareus Impostor.



Atquænam ista ambiguitas? An non apertè dixerūt, (quod ipsemet eadem thesi fatetur.) *eadem id fide credendum, qua sanctissimum incarnationis mysteriū credimus.*

## XII.

Nos, inquit, respondemus per distinctionem, ab hypocritis, quin, & à Iudæis, ipsiq; dæmonijs, credi tantum fide historicâ, à fidelibus autè rectèq; institutis, fide historicâ & saluificâ simul, quando quidem hi, non solum credunt Biblia esse verbum Dei, sed etiam credunt esse diuinitus in suam salutē reuelata & exarata (thesi 72.)

Pareus ambiguitate ludit.

Quinam videantur Pareo rectè instituti.

Nunquid hîc Pareus ambiguitate ludit? quid intelligit per *hypocritas*? si diuinare licet, eos omnes, qui cum Christianam religionem profiteantur, *rectè tamē instituti non sunt*; id est Caluini somnia, non amplectuntur. Quid ergo misellis fiet Lutheranis? Hypocritarū scilicet, Iudæorum, & dæmonū fide: Hypocritarum, Iudæorum, & dæmonum iustitiam apprehendentes, eodem cum ipsis cælo suscipientur. Quod si per *hypocritas* Christiani nominis homines, peccatores tamen magnos intelligat, quomodo Caluiniiani, qui in Catholicos tam pudenda, horrendaq; spargunt mendacia tam fide historicâ quâ saluificâ credunt, scripturas esse verbum Dei?

Pareus in præfat.

## XIII.

Sed hæc iam omitto. Atq; vt Catholicos rectè institutos videat Pareus, *hi credunt, non solum Biblia esse verbum Dei, sed etiam credunt, esse diuinitus in suam salutem reuelata & exarata, idq; fide Catholica & saluifica quæ vna & eadem, miraculorum, historica, iustificas, diuerso respectu potest appellari.* Cætera quæ hic fusius incul-

cat

Catholicos Romanos rectè institutos esse, probatur.



cat Pareus, ne sim longior, lubens prætereo; quod parum aut nihil ad rem pertineant.

XIV.

Quæstio 4.

Ad quartam igitur quæstionem veniamus, ea est *lesuite clare, & coherenter loquuntur.*  
*An dogma de libris Canonici in generali & in particulari sit articulus fidei? (thesi 84.)* Faterur Pareus, quod negare non potest, respondisse Iesuitas, *scripturam, tam in generali quam in particulari esse divinam & Canonicam fidei Catholica articulum censendum, (thesi 88.)* Rectè quidem: nihil enim fidei Catholica creditur, nisi eiusdem fidei obiectum, vel obiecti particula, quam articulum fidei, generalius accepto vocabulo dici, quid obstat? cum igitur scripturas esse Canonicas & divinas fidei Catholica credendâ affererent antea Iesuitæ, cur non etiam eiusdem fidei articulum quendam hoc dogma dicerent? Nihil hic obscuritatis, imposturæ nihil.

XV.

Quid iam hic Pareus? videtur datâ operâ absurditates omnes, in hanc ultimâ quæstionē, quasi ad perorandum servasse. *Nos primū respondemus, si propriè loquendum sit, dogma de scripturis Canonicis, non esse articulum fidei. (ita thesi 89.)* Quid verò postea? *Specialiter verò & propriè articuli fidei dicuntur, dogmata Evangelii, quæ symbolo Apostolico continentur, & vulgò duodecim numerantur (thesi 107.) & hoc etiam sensu dogma de Canone articulum fidei, non diffitemur. (thesi 108.)* vide quo Pareum Iesuitas cavillandi studium abducat, vt scilicet pauculis versibus interpositis, has duas propositiones affirmet.

*Pareus absurditates servat ad perorandū*

*Pareus ex cavillandi studio sibi ipsi contradicit.*

C

Dogma





Dogma de Canonē, est propriè articulus fidei (thesi 108.)

Dogma de Canonē, nota est propriè articulus fidei (thesi 89. & 97.)

XVI

Condonandum est Pareo, quod non omnia con-  
lul aduertat. Plus enim videtur oculi, quam oculum  
percurramus reliqua. citat D. Thomam Aquinatem  
(thesi 90) hunc vtrum legerit dubito, locū enim ma-

Pareus non  
intelligit du-  
as D. Thomae  
Aquinatis li-  
neas; & citat  
tamen illum.  
Vide caiet.  
p. q. arc. 1.  
Franciscum  
Zumel. Lu-  
do Vic. Moli-  
nam: Gregor.  
de Valentem.

le notauit. Quod non intellexerit certus sum. *Ser-  
uatur*  
inquit D. Thomas, *Doctrina, est scientia, quae procedit à  
principiis notis lumine superioris scientia, quae scilicet est scientia  
Dei & beatorum.* id est, Theologia videtur principiis à  
nobis tantum creditis, à Deo verò & beatis clarè &  
distinctè cognitis, vry. g. quod Deus vnus sit in effen-  
tia, Trius in personis. Quod ab æterno nos dilexerit.  
Quod sacrorum Bibliorum quæ tenemus, ipse sit au-  
tor.

XVII.

Hæc, inquam, & similia principia fidei Catholica tan-  
tum credimus, quæ naturali ratione demonstrari nuli-  
lo modo possunt; & ex illis creditis, per Theologiae  
habitu, de quo S. Thomas loquitur conclusiones  
deducimus. Sed, nūquid etiam beati, & Deus illa cre-  
dunt, vt Pareus interpretatur? An æternum illud nu-  
men per fidem ambulat, & per speculum in enigmate  
videt? absit à Christianis; illa Parei blasphemia.

XVIII.

Sed nolo minutias omnes persequi: hoc peto,  
quando ea, quæ Pareus primum *principia*, & deinde  
etiam (thesi 108.) cum Catholicis *articulos fidei*, vocat;  
quan-

Pareus ex ig-  
norantia  
Scholasticæ  
Theologiae,  
sic blasphem-  
aus in Deum



quantum ad nō ōn à rudibus credi vult, ex ministerio & testificatione Ecclesie (thesi 92.) de quanam fide loquitur? humana ne, vel diuina & Catholica? si de humana, ergo quacūq̄ rudiores illorum principiorum vi credunt, humanā solum fide credunt. ergo omnes intereunt. Si de diuina. potestne Ecclesie testificatio & auctoritas, ad fidem diuinam & Catholicam fundandam, in rudibus esse sufficiens.

Pareus Christianos rudiores omnes damnat, nisi Ecclesie auctoritatem ad Catholicam fidem fundandam sufficere concedat.

XIX.


Sed dimittamus rudes, loquamur de Pareo & politicianibus. hi enim quantum ad nō diōn firmitur sciunt & credunt, Biblia esse sacram scripturam, non ex auctoritate & testificatione Ecclesie, sed ex internis criteriis: (thesi 93.) cum nō diōn propter quid significet & ex Arist. 2. post. cap. 2. & omnibus recte Philosophantibus, causam petat, in quo causæ genere critica illa, firmam & exactam articulorum fidei cognitionem pariunt?

Pareus ipsius similes, quantum ad nō diōn sciunt, qui libri sine diuinis, ex capitis sui Criticis.

XX.

Quid iam sequitur? Hinc patet, inquit, dogma de quo quæritur, propriè nō articulum fidei, sed principium esse Theologicæ scientiæ & fidei, proinde Sophistas illud in dubium vocantes, minime audiendos sed explodendos esse, quia cum negantibus principia, non est disputandum (thesi 95.) Non satis intelligo, quos hoc in loco Sophistas vocet Pareus. si Iesuitas, vt ab hâs semper in hac Disputatione, timeo certè, ne cerebrum amiserit. Nam dogma de quo quæritur est hoc; scriptura tam in generali quam in particulari esse diuinam & Canonicam,

Pareus, si per Sophistas hęc Iesuitas intelligat, impostor est & maledax.



Iesuite nusquam negarunt; scripturam tam in generali quã in particulari esse divinam & Canoniceã; fidei Catholicæ articulum censendum. Idem, diverso respectu & articulus & principium fidei potest appellari.

*Est fidei Catholicæ articulus.* Num hoc negarunt vsquam, vel in dubium vocarunt Iesuitæ: vt proinde audiendi non sint, sed explodendi, neq; cum illis disputandũ? Illi igitur sophystæ Lutherani fuerint. At, nolunt Iesuitæ dogma illud primum principium nominari. Vbi vero illud prorsus negarunt? quasi articuli principiique fidei nomen, eidem dogmati, diuerso respectu, conuenire nequeat. Imò, quomodo dogma illud primum principium dici possët, ex Pareo rogarem; si, quantum ad τὸ δῖον ex criticis pendeat. Ah τὸ δῖον in primorum principiorum demonstrationem, per Pareum admittitur?

## XXI.

Pareus somniat se probare, quod nunquam probat.

Istæ porro à thesi 100. vsq; ad 107. ratiunculæ, quibus dogma de quo disputatur, partim in scripturã difertè contineri, partim euidenter inde deduci astitat, nihil minus, quam quod Pareus sibi persuadet efficiūt: Mosen & Prophetas *θεοῦ νόμος* esse, quis dubitat: frequentia etiam hæc de re testimonia, in nouo testamento, (quod vt Canonicum libenter amplectimur) extare, nemo negat. Sed hoc quæritur; *an ex noui testamenti testificatione vetus Canonicum credere possit, qui non prius, Noui testificationem Canonicam iudicet?* Prius igitur Nouum, Canonicum agnoscat necesse est, quam illius, de veteri, testificationi adstipuletur. Vnde verò hoc, si criticiorum somnium illud dispellamus, certò constabit, *nisi ex Ecclesiã, quæ columna & firmamentum veritatis est*, spirituq; sancto perpetuò regitur & gubernatur testificatione?

## XXII.

Mitto huius fatinæ plura. Solumq; duo postrema

Prius credimus scripturam esse Canonicam, quam credamus, ex illa posse aliquod fidei dogma stabiliri.



ma. *expidua* quæ inter cætera firmiter ex his quæ dixerat Pareus deduci scribit expendo. Quinto (sequitur scilicet) quod non satis caute negatum fuerit, ab eorum (Iesuitarum) Antagonistis (Ratisbonæ) id esse articulum fidei, sine generaliter sine specialiter. (thesi 107.) Assentior Pareo. addoq; non minus impiè, quam incautè, negatum fuisse, quod nobis vicissim assentietur, ut puro, Pareus, Pergit verò, magis incautè concessum, id haberi ex TRADITIONE SIVE testificatione Ecclesiæ (thesi 107) quam obrem? Si enim tantum, vel præcipuè ex traditione seu testificatione Ecclesiæ id crederemus, utiq; principium fidei imò tota fides nostra niteretur testimonio Ecclesiæ, scriptura vero non esset vnica NORMA fidei & dogmatum, & sic haberent aduersarij (Iesuitæ) quod volebant; (inquit Pareus) ita prorsus est, neq; aliud hic expectabam à Pareo (cum Christi Ecclesiæ filium se profiteatur) quam ut submeret:

*Verum autem est antecedens:*

*Ergo & consequens.*


## XXIII.

At, inquit Pareus fides nostra tota, solà nititur diuina autoritate. Quis Catholicus hoc negat? Credimus enim & propter Dei, & propter Ecclesiæ autoritatē. Propter Dei autoritatē simpliciter & formaliter, (ut in scholis loquuntur.) Hæc enim autoritas est, à qua primò fides oritur, & in quam vltimo resoluitur. Ecclesiam verò ut à spiritu sancto gubernatam, infi-

Lutherani non potuerunt Iesuitis respondere Ratisbonæ ex Parei testimonio.

Pareo teste obtinuerunt Iesuitæ in Ratisbonæ synodo quod volebant.

Fides Catholica, nititur sola diuina autoritates Ecclesiæ propositio, & rerum credendarum declaratio, est CON-DICTIO, sine qua non possumus iremūs infallibiliter, quid Deus credendum reuclasset.



libilem, ea quæ Deus reuelauit proponendi auctoritatem & potestatem à capite suo & sponso Christo accepisse, cum columna & firmamentum veritatis sit, nunquid negabit Pareus? Credimus igitur res, propter Dei auctoritatem, *quæ illa infallibiliter vera dicitur*, credimus propter Ecclesiæ auctoritatem, *quæ illa res Dei instrumentum & organum à spiritu sancto motum, infallibiliter ea quæ Deus dicit, NO BIS proponit*. Est igitur Dei auctoritas, credendi suprema ratio, Ecclesiæ auctoritas, sine qua NO BIS quæ Deus reuelauit, non satis constarent, *CONDITIO*. Hinc D. Augustinus. *D. August. epist. fund. cap. 5. Tom. 6.*  
*Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commo-  
 neret auctoritas.*

Dei auctori-  
 tas, est ratio  
 credendi: Ec-  
 clesiæ aucto-  
 ritas, respectu  
 nostri. Con-  
 ditio sine  
 qua non.

D. August. e-  
 pist. fund. cap.  
 5. Tom. 6.

## XXIV.

Concludit vero Disputationem Pareus, huc in modum. *Deniq; sequitur scilicet, quod in Iesuitarum argumento tunc agitato:*

*Dogma de scripturis Canonice, non continetur in scripturis: Dogma illud est Catholica fide credendum: & est articulus fidei:*

*Ergo quedam Catholica fide credenda, & quidem articuli fidei non continentur in scripturis, & per consequens scripturæ non sunt vnica Norma.*

*Non minor neganda fuerit, (quod Antagonistæ eorum fecerunt,) sed maior propositio. Dogma videlicet, de scripturis Canonice non contineri in scripturis. Rectè nobiscum rudes illos Prædicantes, Pareus reprehendit; quod istius syllogismi minorem propositionem negarint; quæ vnum vel ex præcipuis fidei Christianæ fundamentis, continet; quo conuulso, totâ nostram religio-*

Pareus rectè  
 reprehendit  
 Lutheranos  
 in eam &  
 impior.



religionem nutare necesse est: quo vero iure, negat ipse maiorem? *ostensum est*, inquit, *illud in scripturis contineri, partim disertè, partim consequenter*. Vbi vero hoc ostensum est? Putat Pareus se dogma hoc in scripturis disertè contineri demonstrasse, quando thesi 43. & sequentibus; & 101. & sequentibus.) plerosque libros sacros Prophetarum & Apostolorum nominibus inscriptos ostendit. Fallitur. Vnde rectè libros illos, ea præ se ferre nomina didicit, nisi quia libros esse Canonicos prius credidit? Quomodo vero ostendit, consequenter dogma illud, de libris Canonicis, in scripturis contineri? Quia locis citatis ex critiriis id euidenter deduxerat. Fallitur multò magis, ut qui nec diuina, nec sancta, nec omnia vera, quæ scripturis cõtinentur iudicare posset, nisi prius scripturas illas, diuinum esse verbum credidisset?

## XXV.

Manet ergo syllogismus illi Jesuitarum, ut Lutheranis, ita & Calvinianis insolubilis.

*Dogma de scripturis Canonicis, nõ continetur in scripturis:*

*Dogma illud est Catholica fide credendum, & est articulus fidei:*

*Ergo quædam Catholica fide credenda & quidam articuli fidei non continentur in scripturis.*

*Et per consequens scriptura, non sunt unica Norma.*

Nec video, cur potius Pareus maiorem, quam Lutherani minorem negent; nisi fortè, quod ipse maior sit tergiversator, illi minores.

Laus D E O. Diuæque Virgini, in cuius Natiuitatis sacro die, primum, nobis, tantas ingenii D. Parei opes, inspicere licuit.

F I N I S.

Syllogismus  
Catholicorũ  
non minus  
Calvinianis  
ministeris, quã  
Lutheranis  
insolubilis.

